



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. II. De Cæremoniis in Laudibus & minoribus Horis observandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

dicit, iterum canit: *Iube Domne benedicere*: ipse quoque Officiator iterum surgit, & detecto capite Benedictionem imperatur; quod & similiter ad reliquas Lectiones observatur. Circa finem verò tertij Nocturni pluviale ( si priùs eodem non sit indutus ) coloris temporis & officio convenientis accipit, & duobus Acolythis candelabra, alijs duobus verò librum portantibus, & coram ipso exhibentibus, ut in Vesperis, stans nonam Lectionem præmissis Versu *Iube Domne benedicere* ( cui proximus Assistentis benedicit dicens: *Ad Societatem &c.* ) cantat, & eâ finitâ præintonat Hymnum *DEVM laudamus*, genuflectens tamen ad Versum *Te ergo quasumus*: quo finito, si separetur Matutinum à Laudibus, canit *Dominus vobiscum*, Orationem diei, repetitioque *Dominus vobiscum*, postquam Cantores *Benedicamus Domino* cecinerunt, unâ cum Ministris à Choro discedit.

## TITULUS II.

### DE CÆREMONIIS IN LAUDIBVS ET MINISTRIBVS HORIS OBSERVANDIS.

I. **E**T si Laudes in Choro sine legitima causa à Matutinis separari non debeant; si tamen ex tali causa separari eas necesse sit, in iisdem cantandis eadem prorsus Cæremonia observandæ erunt, quæ in Vesperis sequenti titulo explicabuntur, cum quoad recitationem Psalmorum, Capitulorum, Hymnorum, Antiphonarum, incensationem plebiscum Vesperis conveniant.

II. In reliquis minoribus Horis nulla ordinariè solemnitas adhibetur; sed id solùm ad Officiatorem pertinet, ut *Pater & Ave* ( aut etiam *Credo* in Prima ) secretò dicat, postea *DEVS in Adiutorium*, & post Psalmos & Antiphonam etiam Capitulum, ac tandem post Versiculum Responsorio breviter subjunctum *Dominus vobiscum*, Orationem, ac repetito *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino* cum *Fidelium animabus* aut interjunctis in Prima Versibus canat; uti & Versiculum cum Oratione ad Antiphonam B. Virginis, quâ omnis Hora terminata clauditur, pertinente.

TITULUS